

silium veneritis, semper sereno vultu eorum verbis aurem prebete, sollicite considerate, quid singuli loquantur pro stabilitate patrię, pro causis emendandis, pro vestra salute, pro his quę ordinanda et tractanda sunt in palatio regio. Omnia haec oculi vestri instanter aspiciant, et aures vestrae prudenter audiant. Quotiens vero inter illos veneritis, sic estote solliciti, quasi puer, qui sapienter litteras discere vult, tantaque prudentia vestra inter ipsos appareat, ut eis loquentibus non ut discipulus, sed quasi moderator adsistatis. 'Qui cum sapientibus graditur', ut Scriptura dicit¹, 'sapiens erit'. Ideoque in conventu sapientium fatui stultique sermones removendi sunt, quoniam, ubi sapientia habitat, Deus ibidem mansionem facit. Meminisse debet vestra prudentia serenissimi imperatoris avique vestri Caroli, qui tanta fuit prudentia et benignitate, ut non solum iustus apud Deum, sed etiam apud homines predicaretur. Mansuetudini iuncta fuit in eo virtus et prudentia, ut omnem hanc gentem sublimaret et erigeret; aecclesias etiam et monasteria instantissime aedificavit et composuit. Ergo, dulcissime domine, quoniam parentes vestri tantam habuerunt intellegentiam atque virtutem, sic agite per singula, quomodo regem decet. Non levitate animus enervetur, non iracundia animo dominetur, quia, sicut apostolus dicit², 'Ira viri iustitiam Dei non operatur'. Aebrietatem ita fugite, ut etiam aebriosi timeant se apud vestram mansuetudinem gratiam perdere. Inordinate alicui responsum nolite reddere, sed in loquela eruditio et veritas appareat, quia eruditus in verbis repperiet bona³. Et patientiam nolite obmittere, quia, sicut scriptum est⁴, vir patiens fortior est expugnatori urbium. Cum aliquis aut pro vestra utilitate aut pro sua necessitate aliquid vestrę sublimitati suggesserit, sic moderate et caute agite, sicut decet regem. Econtra si contigerit iram vestram commoveri, cito animus ad suam redeat tranquillitatem. Nam apostolus dicit⁵: 'Sol non debet occidere super iracundiam nostram'. Cum itaque his et huiusmodi officiis congruentibus regiae pietati exercere studueritis regiam dignitatem, perfecte et dici et esse poteritis rex, simulque pietas et gloria Domini super vos veniet, ut iure sermo Daviticus⁶ in vobis impleatur, ut in virtute Domini, o rex, leteris, et super salutare eius exultes vehementer. Desiderium animae tuae tribuat tibi Dominus, voluntatem laborum tuorum non fraudabit. Aequitate directa

1) Prov. 13, 20. 2) Iac. 1, 20. 3) Prov. 16, 20. 4) Prov. 16, 32: 'Melior est patiens viro forti et qui dominatur animo suo expugnatore urbium'. 5) Ephes. 4, 26. 6) Psal. 20, 2: 'Domine, in virtute tua laetabitur rex et super salutare tuum exultabit vehementer'. 3 'Desiderium cordis eius tribuisti ei et voluntate laborum eius non fraudasti eum'. 6 'Magna est gloria eius in salutare tuo; gloriam et magnum decorem impones super eum'.